



f. 360<sup>a</sup>.

DISSE<sup>4</sup>RAT<sup>T</sup>O PHYSICO · HISTORICA II.

DE

VIRIBVS VIVIS  
EARVM DEMQVE  
MENSURA

QVAM  
IVSSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS  
IN  
ACADEMIA FRIDERICIANA  
ERLANGENSI  
PRO FACVLTATE DOCENDI  
DIE VI. JULII MDCLIV.  
PVBLICE DEFENDET

IO. CHRIST. ARNOLD.  
A. M.

RESPONDENTE  
IOANNE GEORGIO GOETZIO  
SWINFVRTO - FRANCO  
LEGVM CVLORE.

ERLANGAE  
LITTERIS TETZSCHNERIANIS.



VIRO  
PERILLVSTRI  
ATQVE GENEROSISSIMO  
**VLRICO HENRICO**  
**DE LAVTERBACH**  
SERENISSIMI MARCHIONIS BRANDENBURGO.  
CVLMBACENSIS  
MINISTRO STATVS INTIMO  
NEC NON  
IVDICII AVLICI PRAESIDI  
AC  
COLLEGII PROVINCIALIS DIRECTORI  
CE T.

DOMINO SVO GRATIOSISSIMO  
BINAS DE VIRIBVS VIVIS EARVMDEMQUE MENSURA  
DISSERTATIONES  
D. D. D.

SVBIECTISSIMVS CLIENS

M. IOANNES CHRISTIANVS ARNOLD,

ORI  
PENTATRI  
ATA CENOSIMO  
ALRICO HENRICO  
DE LATERRACH  
SERNAMI MARCHIONIS PRINCIPES  
ALTAVAGIA  
MINSTRUM TATIS INTIMO  
IADICII AVALLI GRATIDI  
AC  
CORTE PROVINCIAS DILECTO  
DOMINO SAO CRISTOSIMO  
DNI DE ANNA RHEAUMA MEXALY  
DISSESTITIOMES  
D. E. S.

M. IOANNES GEMALANUS ARNOLD  
GEMALANUS CIPRIUS



### §. VIII.

A ltioris procul dubio indaginis obiectiones aliae sunt, quibus eadem LEIBNITII demonstratio, tum eo adhuc viuo, tum multo magis post eius obitum, impugnata fuit. Posuit LEIBNITIVS effectum plenum caussae suae integrae respondere. Quis hoc negauerit? Cardo rei in eo vertitur, ut determinetur quidnam in praesente casu effectus sit; vtrum effectus aestimatiō nem tempus ingredi debeat, et si ingredi debet, qua demum ratione. Descendens scilicet ex altitudine data corpus velocitatem acquirit aliquam, qua motu uniformi progredi possit: acquirit vero vim praeterea viuam, qua obstacula sum mouere potest. Eodemque prorsus modo corpus vi acquisita ascendens perdit celeritatem sive motum, atque simul etiam vim. Iam celeritates spatiorum subduplicatam rationem sequi extra controuersiam positum est. Quaeri itaque potest, vtrum grauitas agat in ratione temporum vel potius spatiorum; sive, aliter loquendo, vtrum qua ratione generatur vel destruitur celeritas etiam generetur vel destruatur vis viua, hoc est, vtrum  $gdt = \pm mdv$ , vel potius  $gds = \pm mvdy$ , ex ambabus enim motus leges deduci possunt (\*), incrementum vel decrementum vis viuae exprimat; sive adhuc aliter, vtrum velocitatis generatio et destruacio sit effectus vel potius consequens actionis grauitatis; sive denique, vtrum corpus

adscendens e. gr. ad alt. = 4 vel. = 2. temp. 2, alteri ad alt. = 1.  
vel. = 1. temp. = 1. adscendentem comparatum, quia celeri-  
tate dupla tempore duplo adscendit, dupla vi polleat, an ve-  
ro quadrupla. Quas questio[n]es iure quodam *transcendentes*  
appellaueris. Solius temporis rationem haberi voluit PAPI-  
NVS: hoc enim redit argumentum, quod LEIBNITIO opposuit,  
primarium (\*\*). Supponit scilicet tacite velocitatem atque  
vim viuam in eadem semper ratione augeri et minui: atque  
pro concessa sumens grauitatem esse potentiam vniiformem,  
qua in corpus quiescens perinde agit, ac in quacumque ve-  
locitate motum, aequalibus exinde temporibus concludit ae-  
qualem vis partem destrui, siue illud magna siue parua iisdem  
temporibus spatiis describat.

(\*) Leges motus accelerati easdem futuras, siue grauitas in ratione  
temporum agat, siue spatiorum rationem eius actio sequatur, ostendit RIC-  
CATVS Operis saepius cit. p. 149-152. Sed ex priore quidem formula simplici at-  
que plana admodum vis, solis rectis lineis adhibitis, inuestigari possunt: ex  
posteriore contra methodo magis complicata, vsum parabolae et hyperbo-  
lae secundi ordinis postulante. Quod tamen quaecumque discrimen nota-  
tanti esse momenti videtur, vt ideo certi aliquid definiri possit: nam, vt  
ingeniose inquit laudatus Geometra, perspicacissima pollet mente natura,  
nisi que oculi vider, quae mortales non nisi longa ratiociniorum serie eli-  
cere possunt. Quae quam ita sint, fateri omnino oportet demonstratione  
Leibnitianae ad omnimodam desse adhuc aliquid certitudinem. Quis enim  
dubitet adhibitum ab ipso principio, vim, quae corpus ad altitudinem  
quadruplicem elevari posse, alterius, idem ad altitudinem simplicem euereba va-  
lentis, quadruplicem esse, locum habere non posse, siquidem grauitatis actio  
rationem sequeretur temporum? Interim, quamvis hypotheseos, tantum non  
omnibus philosophis probata, grauitas agat in ratione distantiarum a centro,  
eaque, NEVTONO quidem docente, reciproca duplicata; vero sane similius  
videtur grauitatis actionem assestmaru spatiorum, non temporum, ratio-  
nem habendam: prorsus, quemadmodum cogitanti potentiam aliquam cor-  
pori vel in infinitum applicaram, ne minimam quidem actionem edere posse, si  
scilicet impedimentum quoddam motui corporis obsuerit, contra omnino age-  
re, quamprimum illud ipsum corpus vel per spatium infinite paruum  
transfert, probabile omnino reddi debere videtur mensurandis potentia-  
rum quarumlibet actionibus spatio rectius, quam tempora, adhiberi. Quas  
ambas

ambas conjecturas, non acumine minus, quam modestia inclitus Geometra  
l.c. p. 166. 176. in medium profert.

(\*\*) *Az. Erud. A. 1689. p. 186.* Caetera huc spectantia leguntur  
*ibid. A. 1690. p. 228. A. 1691. p. 6. 439. scqq.*

### §. IX.

Nec vero defuit suae LEIBNITIVS caussae. Concellit statim celeritates siue acquisitas, siue amissas, temporum habere rationem. Negavit vero celeritatem et motum quantitates esse reales, absolutas. Negavit hinc motus quantitatem consuari debere, quippe quum motus, non magis quam tempus, aliaque tota, quorum partes non simul sunt, vñquam exsistere dici possit. Negavit denique alio adhuc nomine temporis hic rationem habendam, vbi de vi penitus absunta sermo est, nemoque inficias ire potest, quicquid vi praeditum est v.gr. elastrum confrictum, si eandem semel impenderit corpus datum ad certam altitudinem eleuando, nullo vñquam artificio adhibito illud ipsum corpus altius adhuc euehere posse, quocumque tempore concessu (\*). Atque videtur, si quid modo video, ultimum imprimis momentum ad rem praesentem dextro diiudicandam facere quam maxime (\*\*). Quumque quae a temporis diuersitate laboritur difficultas sele omnibus omnino effectibus immiscat, atque non possit non immiscere (\*\*\*) , milliesque licet diuersa forma in scenam protrusa sit, saepius etiam eadem LEIBNITII responsio , quam suam fecerunt, qui ab eius partibus steterunt tantum non omnes (\*\*\*\*), repetenda fuit. Vnus, quod sciām, 10. BERNOULLIUS , hanc ipsam rem selectis quibusdam argumentis magis illustrare allaborauit, inter alia ad actiones elastrorum certo modo multiplicatorum, aquales quidem, sed diuersis temporibus edendas, (†) itemque ad motus in arcubus cycloidalibus factos (††) prouocando, quos omnes aequidiurnos esse, docente hoc ipsum primum HUGENIO, nouimus. Sed nec reticendum est his omnibus aduerarios sibi nondum satisfieri professos (†††)

D 3

(\*) Hu.

(\*) Humanæ vero aliquid passum esse in hac cum PAPINO controvèrsia LEIBNITIUM A& Erud. A. 1691. p. 445, faceri omnino oportet, negantem scilicet corpora, quæ aequalē numerū impressiōnum gravitatis vincere possunt, aequalē vincere posse resistētiā, affirmantem cetera, impressiōnēm gravitatis nibil aliud esse quam gradū velocitatis cuius partī impressum. Debutisset enim, animaduerteote RICCATO, l.c. p. 163, concessi propositione priore alterius loco scribere, impressiōnēm gravitatis nibil aliud esse nisi gradū vis viuae corpori impressum. Cæterum ostendere imprimis allaborauis LEIBNITIUS sequi ex Cartesiana hypothēsi motus perpetui possibilitatem. Quod quomodo confecerit, ac quomodo PAPINUS hoc ipsum absurdum decinare tentaverit, brevius exponi nequit. Sufficiat monuisse, esse etiam inter eos, qui Leibnitianam mensuram ipsi tuerint, istam argumentationēm ultra probabilitatem affligerē negantes, POLERVUM, alias; atque perquam ingenioſa ratione eandem eleuare conatum B. HAVSENIVM, Diff. de Viribus motricibus p. 16. seqq.

(\*\*) B. HAUSENIO certe tandem sic vīsum est, qui ipse Leibnitianam virium aestimationēm argumentis, ut omnia summi viri, singulare acumen prae se ferentibus, partimque eodem quo PAPINI illud paulo ante memoratum fulcro nixis, ex instituto impugnat, Prop. I - IV. Diff. cit. atque imprimis vrget p. 7. ex mensura Leibnitiana consequi ob gds = mdv velo-

v

citates in eadem ratione decrescere, qua vires viuae crescent: quod admodum incongruum sit. Sed postmodum in Prog. II. de Reactione demonstrat ipsenē corporis cuiuscumque motū in systemate virium uniformi a viribus continuo et successiue agentibus generabile esse, quae sunt in ratione composita massa atque spatio; certumque pronuntiat esse, motū, quibus viribus generari potest, iisdem etiam destrui posse: quamvis subiungat p. 10. Igitur si vis corporis moti est omne id, quod agere potis est antequam totum motum impendat, necessitatis certissimae est vim corporis moti esse eandem cum summa virium, quibus generalis vel debrabilis motus est, adeoque sub hypothēsi tantum LEIBNITIO assentiantur, quemadmodum etiam jam antea Diff. cit. p. 9. gratis a Leibnitianis supponi dixerat omnes vires, quae agunt, tota sua energia in corpus agere, quando vim viuam generant. Quibus verbis, si recte iudico, hoc innuere voluit HAVSENIUS, licet concedatur v. gr. elastrum, quod dilatando seipso corpus propellit, illi ipsi corpori, vel alii aequali, vi communicata maiorem communicare non posse, quantocumque demum tempore illud vigeat; exinde tamen non sequi quod nec alii corpori maiori, quippe quod diutius, vt omnes profitentur, vrget, maiorem vim largiri possit.

(\*\*\*) Allegat equidem March. du CHASTELLET Inst. de Physique p. 462. easum, quo velocitas dupla eodem tempore effectum quadruplum edit quo simplex simplicem ederet: quem tamen, quum lastitutiones ipsae in omnium mani-

maribus veretur, silentio praeterire lubet. Sed expendi etiam merentur quae MAIRANUS l. c. p. 493. 494. opposuit.

(\*\*\*\*) Faciliorem vero esse praebevit HERMANNUS, qui videns, si quidem in motu grauium vis in ratione composita temporis et celeritatis esse ponatur, declinari posse dubium, quo noua, quam pro vindicanda LEIBNITII mensura excogitauerat demonstratio, premebat, admisit dicto modo temporis rationem haberi posse. (Comment. Petropol. T. I. p. 24.) Recte an secus, dubium esse poterit nemini, animaduertunt HERMANNUM ipsa illa pagina afferrere celeritatem et tempus esse entia modalia, quibus vis mensurari non possit; et si eum scilicet obiectionem, cur actiones grauitatis non aequae temporis, quam spatii, quod ipse supponebat, rationem sequentur. Accedit vero adhuc praeterea aliud, quod plane non appareat quomodo corpus dupla velocitate duplo tempore effectum edere possit quadruplum, nisi singularis temporis momentis celeritas maneat eadem, quod tamen in motu retardato locum habere non posse facile intelligitur. Taceo, quod MAIRANUS (Memoires de l' Academie des Sciences de Paris A. 1728. p. 24.) obiecit, longiorum motus corporis adcurrentis durationem signum maioris velocitatis esse, minime vero principium quoddam valoris, quod in valorem a celeritate ductum deauo ducere oporteat: nisi quis effectum per effectum effectus metiri velit.

(†) Opp. T. III. p. 40. cf. Institut. de Phys. March. du CHASTELLET p. 463.

(††) Ibid p. 245. seqq.

(†††) Sic HAUSENIUS Diff. cit. p. 24. auctor est ex natura Cycloidis, in qua sicut in qualibet casu est arcui descensus, inaequalitatem virium, (celeritatum dixisset LEIBNITIUS) ex isochronismo vero conditione Cycloidem ipsam sequi, hincque ex isochronismo inaequalitatem virium. Pendere itaque inaequalitatem virium ex isochronismo. Aliud habet quod moneat NEGRI in Tr. De magnitudine &c. p. 92.

### §. X.

Vnius vero adhuc argumenti, a MAIRANO Viro Celeb. prolati, mentionem fecisse iuuabit. Nihil naturae, nihil rationi magis conuenire videtur, quam vim corporis editis ab eodem effectibus aestimare. Suadet vero ille plane contrarium, iubetque, motu uniformiter retardato ad aequabilem reducere, vim corporis ex obstaculis non superari dijudicare. Quod sic intelligendum est. Corpus A celeritate descentu ex alt. = 4. acquilta = 2. temp = 2. motu uniformi eodem plane tempore ascendere valet ad alt. = 8, adeoque prima temporis parte ad alt.

$\text{alt.} = 4$ . Sed corpus B cel. = 1 lapsu ex alt. = 1 temp. = 1 acquisita adscendit eodem tempore ad alt. = 2 motu acquabili. Videntur ergo effectus virium viuarum descensu acquisitarum, hincque secundum Leibnitianam aestimationem vires ipsae, celeritatum in massis duatarum rationem habere. Quae quum ita sint in motu uniformi, inquit, cur non eadem prorsus aestimatio locum habere deberet in motu a grauitate aequabiliter retardato? Resistentia enim ipsam, quae inerat vis, quantitatem, profecto non auget. Videamus ergo qualis futurus sit adscensus duorum istorum corporum, a grauitate sollicitatorum. Hic vero corpus A primo temporis minuto, quum grauitas motum adscendentis eadem prorsus ratione retardare, quam descendentis accelerare constet, ad alt. = 3. B vero ad alt. = 1. adscendet, aequali vtrinque velocitatis decremento. Quumque in motu uniformiter retardato velocitates amissae sint ut tempora, A subduplicum sua celeritatis = 1, B vero velocitatem, qua pollebat omnem, perdidisse euidens est. Perget itaque A residuo pristinae velocitatis = 1, temporis minuto secundo, atque idem spatium quod antea B velocitate aequali emensum est, describet. Quae omnia sic, nec aliter, se habe-re posse, post GALILAEI experimenta satis notum est. Itaque A vel. = 2 temp. = 2 quadruplum spatii a B vel. = 1. temp. = 1 descripti conficiet. Quum vero idem corpus A ad alt. = 3 adscendat vi sua constante descensu acquisita, neutiquam vi per resistentiam grauitatis amissa; nec decremente eiusdem vis aestimando inferire potest haecce altitudo, quippe quum corpus, absuisset resistentia medii, hac ipsa vi per spatia imensa vagari potuisset: sed illud ipsum potius vis decrementum spatio = 1 propter grauitatis actionem primo minuto, atque alio aequali secundo minuto ob eandem resistentiam non percurso, aestimandum est: quorum spatiorum aggregatum vim integrum adscensu consumtam sistit = 2, relata m ad vim ipsius B eodem prorsus modo aestimatam, quae est = 1. Sic MAIRANUS (\*). Ecquis vero non videt, quod, ut ipsem fuse ostendit, eadem plane ratiocinia adhiberi possint, quando de  
cla-

elastris à corpore constrictis, vel fouois in materia molli factis,  
fermo fuerit?

(\*) *Commentariorum*, paulo ante citatorum p. 60. seqq.

### §. XI.

Atque profecto actum foret de mensura virium Leibniana, siquidem sic computare liceret. Licere vero negant atque pernegant, qui eandem tuentur, quam maxime. Et quidni negent? Repugnantiam hancce methodum inuoluere contendunt, eandemque satis apertam. Qualem vero illam? Corpus A adscensurum primo temporis minuto ad altitudinem  $= 4$ . motu aequabili, reuera vero adscendens ad alt.  $= 3$ . motu retardato, perdit quandam vis suae partem; atque eam quidem, qua poterat motu aequabili eodem tempore ulterius adscendere ad alt.  $= 1$ . Profitetur hoc MAIRANUS. Numquid vero corpus ad A alt.  $= 1$  motu adscendens aequabili vim quandam impenderet? Nullam profecto: alioqui motus futurus foret minime aequabilis, contra hypoth. Itaque corpus adscendendo ad alt.  $= 3$ . nullam vis suae partem perdidit (\*).

(\*) Huc redeunt dubia MAIRANO a March. du CHASTELLET *Instit. de Phys.* p. 454. seqq. opposita. Ac refellere quidem ea fatigit MAIRANUS, ita tamen ut huncce nodum tangere noluisse videatur. Disputat contra MAIRANI theoriam etiam BULFINGERUS. *Comment. Petropol.* T. I. p. 87. atque in primis RICCATUS I. c. p. 217. seqq. ostendens eandem, si vñquam admitti queat, certe, nisi resistentiae massis fuerint proportionales, admitti non posse.

### §. XII.

Professus est, quod supra dixi, LEIBNITIUS, sese ad veram virium viuarum mensuram *a priori*, simplicissima spatii, temporis,

poris, atque actionis, consideratione peruenisse: quam tamen methodum numquam publici iuris fecit, licet hoc sese factum spoponderit, (\*), atque 20. adhuc annos superest fuit. Nec potuit omnino, si verum fateri libet, viros, quod sciam, clari nominis Geometras in suas partes trahere, praeter **Io. BERNOULLIUM**, eundemque satis reluctantem, **HERMANNUM**, atque **L. B. a WOLF**: paucos illos quidem, sed qui multorum instar esse poterant. Prodierunt demum, paucis abhinc annis, duae tales ipsius demonstrationes in lucem (\*\*), forma quidem diuerse, reuera tamen, significante ipsomet **LEIBNITIO**, eodem redeentes: quarum altera, denotantibus A, S, C, T, M, actionem vniiformem, spatium, celeritatem, tempus, massam, breuissimis sic exprimi potest. In motu vniiformi  $A = SC$ . Sed  $S = CT$ . Ergo  $A = C^2T$ . Adeoque, quod facile patet, si comparandae actiones duorum corporum inaequalium, eodem vel aequali tempore editae,  $A = C^2M$ . Fusius postmodum hanc demonstrationem exposuit **L. B. a WOLF** (\*\*\*) , principiis vsus, quorum cum suis conuenientiam ipsem **LEIBNITIUS** datis ad eundem litteris agnoverat. Vnde quod pluribus de ea disseram, non habeo. Sufficiat monuisse **L. B. a WOLF** demonstraturum actionem esse in ratione composita effectu & velocitate, seu illam aequationem  $A = SC$ , tamquam per se euidentem sumere, quod ipsum etiam **LEIBNITIUS** in vtraque demonstrationum modo memoratarum supposuerat (†), actiones in eadem ratione crescere, in qua decrevit tempus, quod effectui ab eodem mobili praestando impenditur, seu  $A : a = t : T$ . (††) Quo concezzo, iisdem plane ratiociniis, quibus **LEIBNITIUS** usus est, actiones esse in ratione composita simplici massarum et duplicata velocitatum, in motu vniiformi, atque deinceps etiam in retardato, euincere poterat.

(\*) *Act. Erud.* A. 1695. p. 154. 157.

(\*\*) In *Commercio epistolico Leibnitio-Bernoulliano* A. 1746. edito. Alteram demonstrationem videre est *Epist. 22*, mense Ianuario 1696. ad *B.R.*

NOUILLUM data. Alteram LEIBNITIUS addidit alia quadam epistola, mense Februario eiusdem anni scripta: quamvis, postquam binos prioris terminos paululum obscuros clarius explicasset, BERNOULLIVS iamiam vel acquiesceret, vel acquiescere simularer.

(\*\*\*) Comment. Petropol. T. I. p. 217. seqq.

(+) Atque notari omnino meretur LEIBNITIVM ipsum, litteris mense Iunio ad BERNOULLIUM datis, ingenue factum, suam a priori demonstrationem niti suppositione illa A:  $a = t$ : T, quam ipsam, immo quoque hanc, *affio* idem faciens breviori tempore major est, a qua incipendum fore, a priori, nequidem per congruentiae viam, hucdum demonstrare potis eset. Quumque etiam WOLFIVM (Comment. Petrop. T. I. p. 233) A. 1711. monuerit ev  $\equiv a$ , seu actionem esse in ratione effectus atque velocitatis composita, demonstrandum esse, vero omnino simile est propositionis istius demonstrationem ipsi ne tum quidem inveniantur fusse. Caeterum quas turbas LEIBNITII epistola, ad HERMANNUM, ut videbatur, data, atque partem a Cel. KOENIGIO A. Erud. A. 1751. p. 176. occasione nouae virium mensurae Ill. MAUPERTUISIO inventae euangta, excitauerit, in recenti nimis memoria est.

(††) l. c. p. 228. Theor. X.

### S. XIII.

Memoratas a priori demonstrationes ista thesi niti, actionem mobilis aequabiliter moti in ratione composita spatio et celeritate esse, eaque negata omnino vacillare, propalam est. Vtrum iam spatium a mobili percursorum effectibus accensendum sit, post HAUSENIUM dubitare profecto licet: atque dubitandi rationes, ut ante dictum, satis in aperto sunt. Quod celeritatem attinet dubius haec si videtur BERNOULLIUS ipse, annon potius caussa quam effectus sit, vel, siquidem effectus esse statuatur, annon spatium et celeritas a se inuicem pendeant (\*). At multo difficiliorem istae demonstrationes aduersarium nactae sunt, celeberrimum ex Anglorum gente Geometram (\*\*). Negat is assumentum WOLFI A:  $a = t$ : T, seu actionem, qua e.gr. spatium aliquod temp. = 1. percurritur, alterius, qua spatium idem temp. = 2. describitur, duplam esse, quia idem spatium vtraque percursione conficitur. Negat porro celeritatem effectum, non caussam, actionis istiusmodi esse. Negat deniq; longitudinem



dinem percursam non a velocitate pendere, nec in illa includi. Immo vero vulgarem mensuram sequenti ratione demonstrare contendit. Actionem effectus productionem definit, licet istam definitionem ipsem et nondum omnibus numeris absolutam esse credit. Hinc vero aequalium actionum aequales esse effectus, atque actiones effectuum rationem habere, concludit, seu  $A: a = E: e$ . Iam vero, vtendo breuitatis causa symbolis, atque denotantibus  $V$ ,  $v$  vires,  $A: a = VT: vt$  (per Theor. IV. WOLFI p. 223. l. c.) Vnde  $E: e = VT: vt$ . Atqui  $E: e = MS: ms$ . (itidem ex WOLFI demonstratis Theor. VIII. p. 225.) Vnde  $VT: vt = MS: ms$ . Seu  $V: v = \frac{MS}{T} : \frac{ms}{t}$   
 $= MC: mc$ , mensurae Cartesianaæ apprime conformiter.

---

(\*) Cf. Epist. eiusdem eod. anno mense Aprili ad LEIBNITIUM datam, qui evidenter proximis litteris mense Junio huius etiam difficultatis, sed obiter quasi, meminit, a estimare sese, dicens, actionem composta ratione eorum quae praefat: effectus scil. extensui seu materialis, nempe longitudinis, quem uar'  $\varrho \cos \varphi$  effectum nominare soleret, et effectus intensui seu formalis. Desideratum enim esse ut multum praefetur, et cito.


(\*\*) IAC. IURINUM, qui quoque LEIBNITIUM inter et BERNOULLIUM isto de arguento acta prolixe sat, nec sine acriori paullulum crisi, refert. v. Philosoph. Transact. A. 1746. N. 429. p. 103. seqq.

#### §. XIV.

Argumenta LEIBNITII vidimus. Postulat temporis ordo, postulat summi Io. BERNOULLII dignitas, vt quibus ipse armis Leibnitianam mensuram tueri voluerit, paucis enarem (\*). Elastris usus est: tum, quod illorum actionem continuam, hincque grauitatis actioni geminam, censeret; tum quod corpora non dari perfecte dura persuasus esset (\*\*). Nam, siquidem de elasticis solum corporibus sermo fuerit: quid prohibet quo minus demta ipsis, facilioris demonstrationis causa, elasticitate,

tate, elastrum quoddam corporibus sibi occurrentibus interpositum concipiamus, quod constringi ab ipsis oporteat? Agedum, videamus, quid hac substitutione obtineatur.

Sint duo corpora inaequalia A et B, quibus interposita censetur elastrorum aequalium atque aequae constrictorum series A B, eaque materiae expers, ne massae eiusdem rationem habere oporteat. Dilatetur iam



ista series, propellatque ambo corpora, dextrorum alterum, alterum sinistrorum: sic, vt elastris statui naturali restitutis celeritate acquisita motu aequabili directionem suam prosequantur. Investigandum est, quanam vi elastrorum actione corporum virumque animatum sit. 1.) Pressiones, quamdiu elasta constricta tenentur, vtrinque aequales fieri, atque prorsus tantas, quantas elastrum quoddam ex ista serie vnicum, iisdem corporibus interpositum, in ea exerceret, satis evidens videtur (\*\*\*) : quantacunque enim fuerit elastrorum series, crura intermedia sepe muto sustinere credere par est, vi adeo crura tantum seriei extrema premendo in corpora agant. 2.) Per leges itaque Dynamicas incrementa velocitatum reciproce erunt ut massae, hincque, quoniam ratio haecce constans est, et velocitates ipsae, in praesente quidem casta; adeoque motus quantitates aequales: quemadmodum tempora etiam ipsa, quibus virumque corporum celeritatem suam ultimam acquirit, aequalia sunt; atque centrum gravitatis corporum a sepe inuenientium quiescit, sic vt punctum C, ubi AC: CB = B: A, fixum sit. Haec quidem, quod sciām, negantur a nemine. Sed iam attendamus opōtēt. Licetne illud ipsum punctum C instar obicis cuiusdam immobilis considerare, sic, vt

vis tota partis seriei CB corpori B, visque partis AC tota corpori A cedat? Quodsi licet, et per BERNOULLIVM quidem licet, rectiline Leibnitium vires viuas acstimasse ostendi potest facile. Elastram quippe sumsimus aequalia, adeoque vires singulorum aequales statuendae sunt. Erit itaque vis viua partis seriei AC, ad vim viuam partis CB, vt AC: CB Quae quam globis A, B, respectiue communicentur, dictis  $AC = a$ ,  $CB = b$ , vi viua corporis  $A = f$ , alterius vero  $B = \varphi$ , habemus  $f: \varphi = a: b$ . Sed per praeced.  $a: b = B: A$  seu  $Aa = Bb$ , vnde  $f: \varphi = Aa^2: Bb^2$ . En victricem LEIBNITII caussam (+). Accommodemus iam idem, quo vii sumus, schema, demonstrationi eiusdem auctoris alteri (†), itidem ex elastrorum natura petitae, alia tamen hypothesi nixae. Statuantur scilicet duae series inaequales quantaecunque elastrorum perfecte aequalium atque aequae constrictorum in rectis AC, CB, dispositae, piano PR immobili vtrinque firmiter infixae in C, extremitatibus vero A, C, globos inaequales cognomines vrgentes, eosdemque, dum sese explicant, secum auferentes. Sit numerus elastrorum seriei  $AC = n$ , alterius vero  $CB = N$ , euidensque est si fuerit  $AC: CB = n: N$ : vbi globi peruenient in A et B elastram singula vtriusque seriei aequae dilatata fore, quo fieri, vt ambo globi in A et B aequali prorsus vi premantur (per praeced.). Sit itaque ista vis  $= p$ ,  $AC = nx$ ,  $CB = Nx$ , massa globi A  $= m$ , eius velocitas  $= v$ , massa globi B  $= M$ , velocitas  $= z$ , habemus  $Aa = ndx$ ,  $Bb = Ndx$ . His positis  $mdv = pdt$ . Rectene vero sic, an potius loco ipsius p adhibere conuenit np? BERNOULLIO prius placet: siisque denuo salua LEIBNITII res est. Erit quippe ob  $dt = ndx$ ,  $mdv = npdx$ , hincque  $\frac{1}{2}mv^2 = npdx$ . Similis  $pNdx = Mzdz$

<sup>v</sup>  
atque  $\frac{1}{2}Mz^2 = Npdz$ , adeoque  $mv^2: Mz^2 = n: N$ . Sed vires viuae serierum, hincque etiam globorum, quemadmodum in casu praecedente, itidem sunt vt serierum longitudines, siue numeri elastrorum in serie qualibet iunctorum. Ergo in ratione composita simplici massarum, atque duplicata celeritatum. Dictis porro tempusculis, quibus elementa  $Aa$ ,  $Bb$ , percurrunt.

curruntur,  $dt, dT$ , obtinemus  $dt : dT = \frac{ndx}{v} : \frac{Ndx}{z} = \frac{n}{v} : \frac{N}{z}$ .

Sed vi praecedentium est  $v : z = \sqrt{\frac{n}{m}} : \sqrt{\frac{N}{M}}$ , hincque  $dt : dT = \sqrt{mn} : \sqrt{MN}$ . Quae ratio quum constans sit, patet fore etiam  $t : T = \sqrt{mn} : \sqrt{MN}$ .

(\*) Vtrum BERNOULLIVS demonstrationibus Leibnitianis reuera ac<sup>ce</sup>uerit, vel acquiescere tantum simulauerit, dubium supra pronunciari. Interim dedisse eum aliquid veteri cum LEIBNITIO amicitiae vero videri posset similius. Certe, postquam literis mense Aprili A. 1696. scriptis communicatam sibi a priori demonstrationem maiorem in modum laudasset, alia quadam epistola mense Augusto data, definiret LEIBNITIO auctor est, quid per actionem intelligeret, alias enim nihil demonstrari posse. In Dissertatione vero de Motu, gallico idiomate post LEIBNITII demum obitum conscripta, quae encomium quidem Academiae Scientiarum Francicarum, non vero praemium, mereri visa est, crouasatio mensuram vulgarem defendantis adiudicatum, sese eiusdem demonstrationibus, vt pote indirectis, minime coniunctum fuisse aperte proftetur, nulla plane demonstrationis cuiusdam a priori sibi communicata mentione facta. Opp. T. III. p. 40.

(\*\*) Vim destrui non posse nisi edito quodam effectu v. gr. comprehensione, aut simili, tam clarum esse videtur, quam quod maxime. Itaque, si dantur corpora perfecte dura, id est, talia, quae omnem omnino partium comprehensionem excludent, non appareat profectio, cur, si quae mole et velocitate aequalia sibi directo obuiam facta fuerint, post confictum quiescere debeant. Non minus porro clarum videtur directionem corporis mutari non posse, nisi adsit quedam talis mutationis causa. At enimvero quemadmodum esse potest in corporibus perfecte duris causa, quae directionem utriusque contrarium imprimat? Cur ergo iisdem, quibus ante congressum pollebant, celeritatibus, regredi deberent? Atqui nec penetrare sese possunt. Non ergo mirari convenit, si, quod hocce argumentum attinet, in diuersis plane partes abiisse videmus permagnos Geometras: scilicet HUGENIUM atque WRENNUM persuasos, fore, ut ambo corpora non mutata celeritate ex confictu revertantur; dubitatem de huius asserti veritate NEVTONVM; MARIOTTIVM vero eandem aperte negantem: quamuis, monente RIZETTO, (T. I. Comment. Bonon. p. 504.) experientia edocet relativa corporum celeritati tanto minus descendere, quo celerius figura eorundem post confictum restitutur, recte omnino judicasse centendus sit HUGENIVS. Nam quum corpora perfecte dura, si quae dantur, figuram suam post confictum in

in instanti recuperare dici possint: non obscurum est eadem immutata etiam celeritate ex confitu redire debere. Interim, quamvis per quandam mentis fictionem haec ita concipi possint, negari tamen nequit motus communicationem corporum perfecte durorum fricte loquendo hucusque explicata nemini. Negarunt ergo talium corporum, legibus motuum nascentium et euanescientium obtemperare recusantum, existentiam non LEIBNITIENSIS solum, atque qui eiusdem aestimationem tuerunt tantum non omnes, quos inter eminet IO. BERNOULLIUS Opp. T. III. p. 8. seqq. prolixo contra eandem disputans, sed etiam dissentientium plerique, ex *lege imprimis continuo*, quae sicutum in natura fieri vobat: cui tamen ipsi legi, certo sensu acceptae, plures inter primi ordinis Geometras suffragia sua denegare, nec leibnitus profecto rationibus motos, satis notum est. (cf. Cel. KAESTNERE Diss. de *lege continuo*.) Nec appetit tamen, licet LEIBNITIUS assidue suam quidem virium mensuram fricte loquendo nullatenus adplicare possint corporibus duris, quod meliori sint conditione, qui corpora perfecte dura admittunt. Distinctione enim inter vim motricem et viuam, quarum priorem tantum in confitu perfecte durorum agere nonnulli contendunt, non multum proficit: quanu nullae plane allegari possint rationes, cur *vis viua* in confitu mollium atque elasticorum in partes veniat, in durorum vero pugna minime. Caeterum, quodsi *lex continuo* Bernoulliano sensu accipitur, necesse est impossibilitatem corporum perfecte durorum proferri: quod tamen aliquibus ex ipsis Leibnitianis minus probatur; quippe qui sufficere rati si ostendere potuerint talia corpora saluis motus legibus iherum natura locum habere non posse, possibilitem ipsorum in medio relinquunt. Quomodocumque hoc scie habeat, experimenta, quae quidem hucusque instituta sunt, curatissima, negantibus existentiam corporum durorum admodum fauere notum est. Compertum enim est quaelibet corporis, quando collidunt, aut manifesto comprimi, aut sonum edere. Quorum neutrum in dura cadit.

(\*\*\*) Negat hoc unus, quod sciām, NEORI, libelli citati p. 104. seqq. admodum frigidis, si quid video, rationibus fultus, quas referre non attinet, contendens elatram quodlibet seriei ab omnibus reliquis premi. Fuse vero huius Bernoullianae hypotheseos veritatem adstruit ZANOTTVS Comment. Bonon. T. II. p. 438. seqq.

(+) Opp. T. III. p. 24. 250. Huic vero demonstrationi multum omnino ipse tribuit BERNOULLIUS, persuasus, ne pertinacissimum quidem aduersarium, si vel Scepticus foret, eidem aliiquid opponere posse.

(††) Ibid. p. 46.

§. XV. NOR

Non dubito fore plerosque, qui quum oeconomiam motus elastrorum paullo curatius haud inuestigauerint, machinae admodum simplicis actionem difficultatibus oblitam esse vix persuaderi sefe patientur: quod tamen haud obscure iam ex mox dicendis aliquantum apparebit. Agedum consideremus primum priorem BERNOULLII demonstrationem, quae tanto maioris momenti est, quod, siquidem bene sefe habet, vna eademque opera ostendi potest vires inaequales temporibus generari posse aequalibus. Nititur haec demonstratio hypothesis, posse partes AC, CB, seriei AB, instar duarum serierum plano immobili LR vtrinque infixarum considerari, propterea quod punctum C, centrum scilicet grauitatis amborum corporum, nemine repugnante, fixum semper est. Deriuauit vero, vt vidimus, BERNOULLIVS, hanc ipsius puncti C immobilitatem exinde, quod pressiones in vtrumque globum exercitae aequales, adeoque celeritates initiales, pariter ac finitae, reciproce sint vt massae. Atqui haec vera esse, siue vis totius seriei aequaliter inter ambo corpora distribuatur, siue partes seriei in corpora obiecta respectiue agentes sint reciproce vt corpora, h. e. siue partes AC, CB, inter se communicent, siue minus, ex praecedentibus facile dijudicare datur. Itaque immobilitas puncti C neutrum euincit. Res ergo hucdum in ambiguo est, quam quae maxime. Speciosissimis autem, opinor, rationibus militant, qui istam puncti C immobilitatem ex ipsa seriei AB continuitate, atque aequa totius vis distributione, declarant. Nam elastrum certe vnicum, quamdiu constrictum tenetur, vtrinque aequa premere, et, cessante post potentiae constringentis actione, sefe vtrinque aequa dilatare, nemo dubitat. Quodsi iam eadem, vt videtur, est conditio seriei alicuius integræ, propalam omnino euadit, seriem totam, vtpote continua, globum vtrumque toto dilationis tempore aequaliter premere, hincque, ob corporum A, B, inaequalitatem, spatiola quolibet tempusculo descripta, immo ipsa spatia finita, postquam elastrum ad statum naturalem peruenierunt, in ratione

tione constante reciproca massarum futura. Ut adeo ambae fere partes eodem tempore dilatent, quoniam altera fere ad alteram accommodat (\*). Vacillat itaque, cui prior BERNOULLII innititur demonstratio, hypothesis (\*\*).

(\*) Sic certe ZANOTTVS argumentatus est Comment. Bonon. T. II. p. III. p. 429, 430.

(\*\*) Stabilire vero eandem conatus est RICCATVS Dialogo &c. p. 92. Statuatur in C infixus aliquis clavis, ita quidem ut partes AC, CB, quarum longitudines massis globorum reciproce proportionales sunt, eodem ex utraque parte firmiter innitantur. Quo facto vi §. XIV. temporibus quibuslibet aequalibus spatia ab utroque globo percursa erunt reciproce ut ipsorum longitudines: ut adeo aequalibus quibusvis temporibus singula vtriusque partis elastica aequae dilatari pateat. Quom ergo elasticitas in ratione dilatationum decrebat, confequitur clavum in C semper a duabus potentissimis aequalibus, sibique directo oppositis premi. Hacenus quidecum omnia bene procedunt. Quæritur iam numquid duas istas, quas dixi, potentiae, fere sustinere possint etiam clavo remoto. Affirmat hoc ipsum RICCATVS: rectene vero, an fecit, dubium. Nam docente illo p. 84. seqq. non agunt in clavum nisi puncti C elastrorum EDC atque HGC. Cur vero hoc? Ideo, quia clavis non cedit. Substituamus ferici e. gr. CB etiam infinites longioriem; caeterum elastris constantem, quae singula prioribus perfecte aequalia, atque ad eundem, ut illa, angulum constricta sint. Nonne pressio a ferici istius infinita punto extrema in clavum exercita prolsus eadem erit quae ante, ut adeo clavis etiam sic a duabus potentissimis aequalibus atque oppositis prematur? Numquid vero etiam tum remoto clavo aequilibrium inter ambas series obtinebit? Sufficiat caeterum monuisse MANFREDVVM ex ipsa Bernoulliana hypothesi mensuram Cartesianam corroborare voluisse Comment. Bonon. P. III. p. 319. seqq.

### §. XVI.

In demonstratione BERNOULLII altera prodit  $v : z = \sqrt{\frac{N}{M}}$ :

$\sqrt{\frac{N}{M}}$  adeoque facta  $n = N$ , hoc est, positis duabus seriebus aequalibus, sive serie eadem, celeritates sunt in ratione reciproca dimidiata massarum, hincque vires viuae aequales, quantitates vero motus in ratione dimidiata eaque directa massarum

massarum seu ut  $\sqrt{m} : \sqrt{M}$ . Ut adeo quantitas motus globi  
 B e.gr. a serie CB propulsi, quae est  $\sqrt{NM}$ , non solum aucta M,  
 siue eiusdem massa, sed imminuta etiam quantumlibet seriei lon-  
 gitudine, augeri posset, modo massa globi sic augeretur, ut  
 $\sqrt{NM}$  semper maior prodiret. Durius hoc videbatur, suspe-  
 Etiamque demonstrationem ipsam reddere poterat. Nec de-  
 erant, quae scrupulum facerent. Vsus est BERNOULLIVS Galili-  
 aeans, quae vim grauitatis respiciunt, legibus. Iam grauitas  
 agit continuo. Per saltum vero elastrorum series agere vide-  
 bantur. Intelligatur enim series CB constricta in recta LR. Ces-  
 sante potentiae constringentis actione iactabit se se elastri KLB  
 crus LB versus b, ita quidem ut punctum B primo statim tem-  
 pusculo spatiolum  $= ds$  describat, simulque crus alterum KL,  
 quod vi tantum mortua agit versus LR, secum auferat. (Quae  
 sic, nec aliter, fieri posse, attendenti haud difficulter patebit:  
 non enim minutum omnia persequi licet.) Quamprimum ve-  
 ro KLB vel tantillum relaxatum, hincque eiusdem elasticitas  
 tantillum imminuta fuerit, nil impedit quo minus elastrum  
 proximum HIK tantudem se aperiat, punctumque eius-  
 dem extremum K, eodem plane tempusculo quo prioris KLB  
 punctum B, describat spatiolum a punto B descripto aequale,  
 $= ds$ . Quod quum fieri nequeat nisi secum auferat elastrum  
 KLB: (massae elastrorum hic nullam rationem haberi supra  
 iam dictum) consequens est eodem tempusculo, quo a punto  
 K elastri HIK describitur spatiuum  $= ds$ , punctum B elastri  
 KLB describere spatium  $= 2ds$ . Atque huic viae insistendo,  
 quum de omnibus reliquis seriei CB elastris eadem plane ra-  
 tioinaria valeant, propalam est, si numerus omnium seriei CB  
 elastrorum fuerit  $= N$ , spatiolum a punto H elastri CGH pla-  
 no LR proximi descriptum fore ad spatiolum a punto B pri-  
 mi KLB eodem tempusculo descriptum in ratione  $1 : N$ . et sic  
 porro. Ut adeo elastrum quodlibet in serie eodem tempusculo aequa-  
 dilatetur, ac si extra seriem constitutum foret, licet celeritates pun-  
 torum B, K, H, &c. inaequales, in ratione scilicet spatiolorum eo-  
 dem tempusculo a singulis descriptorum, sint: prorsus, quemadmo-

dum elastrum in naui collocatum eodem tempore aperit, siue nauis aquarum cursu auferatur, siue minus. Quae si ita sunt, ponamus iam seriebus AC, CB, piano LR infixis atque sece aperturis, applicari globos A, B. Quo facto liquet celeritatem euidem puncti B tempusculo quolibet pro magnitudine massae globi cognominis B retardari, atque aequaliter quoque retardari puncta K, H, nihilominus vero globum B, qui quamdiu series constricta erat a solo puncto B elastrum KLB sollicitatus, eiusdem actione deferri poterat per spatiolum  $= dx$ , vrgentibus eundem eodem tempusculo elastris seriei CB reliquis, numero N, promoueri per spatium  $= Ndx$ : quemadmodum ob easdem plane rationes quilibet dilatationis serici AC tempusculo globus A defertur per spatium  $= ndx$ . Ut adeo spatiola, hincque celeritatum incrementa, sint in ratione constante  $N: n$ , quae etiam inter celeritates finitas obtinet. Sed quorsum haec? Eo scilicet ut euincatur, dicta pressione elastrum viius serierum CB, AC, haec tenus consideratarum  $= p$ , globum B vrgeri quilibet tempusculo potentia  $Np$ , globumque A vi  $= np$ , minime vero vtrumque potentia  $= p$ , quod BERNOULLIVS contendit. Atque hoc usque quidem conuenit MANFREDO atque ZANOTTO, quorum vestigia legere placuit; in caeteris non item. Iubet enim MANFREDVS (\*), massarum nulla omnino mentione facta, ponere  $dv = npdt = n^2 pdx$  seu

$vdv = n^2 pdx$ , vnde  $\frac{1}{2}v^2 = n^2 pdx$ , et similiter  $zdz = N^2 pdx$ , hincque  $\frac{1}{2}z^2 = N^2 pdx$  quo obtinetur  $v : z = n : N$ , celeritates nempe vt longitudes serierum, seu vt vires viuas esse, mensurae vulgari, vt ipsi quidem videbatur, conformiter. Difficilior vero paullulum est ZANOTTVS, vt pote ne legem quidem  $npdt = dv$  admittens (\*\*), ratus 1) si pressio in tempusculum ducatur, aucto illo augeri quoque debere celeritatem, hincque motum non amplius uniformem futurum, qualis tempusculo dato supponitur. 2) illam ipsam legem, si vel maxime grauitas eandem admitteret, elastrorum tamen actionem respuere, quia scilicet grauitas aequalibus tempusculis aequaliter

ter

ter agit, secus ac elastræ, quæ, si corpora ab ipsis deferenda inaequalia fuerint, et ipsa singulis tempusculis inaequaliter dilatantur. Vnde sequentem potius in modum argumentatur. Celeritas e. gr. seriei CB, h. e. puncti eius extremi D, est ut numerus elastorum vi theoriae paulo ante traditæ, atque pro ipsa motus quantitate seriei haberi potest, quia nullam massam habet. Iam series CB totam istam motus quantitatem in globum B transfert: quiescit enim punctum B post dilatationem. Quoniam itaque celeritas globi B prodire debet motus eiusdem quantitate per massam diuisa, obtinetur illa  $\overline{N}$  (\*\*).

*M*

(\*) *Comment. Bonon.* T. II. P. III. p. 424.

(\*\*) *Ibid.* p. 384. seqq.

(\*\*\*) *Ibid.* p. 446. seqq.

### §. XVII.

Magnam procul dubio veritatis præ se speciem fert tradita §. *praeced.* theoria. Enimvero Cartesianam virium mensuram stabilire ambobus Viris Celeb. animus fuit. MANFREDVM autem eandem, liquidem recte rationes subduxit, non minus quam Leibnitianam eleuasse, propalam omnino elt. Ducamus modo ipsam corporum massam in computum, atque ista quidem lege, quam, praeter ZANOTTVM, omnes Geometrae probant, nec improbare poterit MANFREDVS ipsem. Itaque  $mdv = npdt$ ,  $mvdv = n^2 pdx$ , et  $\frac{1}{2}mv^2 = n^2 pdx$ . Atque similiter  $\frac{1}{2}Mz^2 = N^2 pdx$ . Vnde si ponatur  $n = N$ , prodit  $v:z = \sqrt{M}: \sqrt{m}$  (\*). ZANOTTVM vero, qui motus quantitatem conseruari supponit, principium petere, me non monente liquet. At restant plura disquirenda. Non enim extra controversiam est elastræ singula seriei cuiuslibet CB eodem tempore aequè dilatari ac si extra seriem constituta forent, motumque hic translatum obtinere talem, qualis elastro naui imposito locum habet. Sunt qui contrarium tinentur (\*\*). Nam seriei elastrorum naui impositae

F 3

puncta



puncta quando sese dilatat, eandem omnia celeritatem habent; hincque elasticitate omnia aequaliter accelerantur: secus, ac si elastrum in eadem serie iuncta fuerint. Elastrum enim HIK e.gr. sese aperiens non omnibus eodem instanti punctis elastri KLB eandem celeritatem communicat, sed primum quidem puncto K, in quo illud tangit, tantillum motum ingenerat, ut adeo crus LK aperiente sese altero LB claudatur aliquantum. Praeterea vero in legibus *pdt* = *dv* seu *pds* = *vdv*, potentia sola, siue illa fuerit grauitas, siue elasticitas, licet in se variabilis, constans sumitur, existentibus *dt*, *ds*, variabilibus: quo fit, ut numerus prellionum a seriebus AC, CB, in globos A, B, exercitarum, ducta pressione in temporis vel spatii elementum iam in computum veniat, nec adhibitis *np*, *Np*, loco *p*, bis introducendus sit (\*\*).

(\*) RICCATUS I. C. p. 100.

(\*\*) Id. ibid. p. 90.


(\*\*\*) Prolixum nimis foret singulas de communicatione motus mediante elastorum serie sententias longe diuersas, partimque semetiphas carentes, signallatae referre. Sufficiat unum adhuc argumentum exponere, quod, ex mente Cel. IVRINI, (*Philosoph. Transact.* N. 476. Art. XIV. p. 128. seqq.) indubius plane principis nixum, tale est. Elastrum quo magis dilatum est, eo minorem premendo vim exercet. Quare si elastrum duo aequalia, A, B, corpora vrgeant inaequalia, A quidem maius, B vero minus, quem nemo ire inficias possit elastrum B citius, hincque etiam quilibet instanti magis, dilatari, altero A, consequens est B quolibet etiam instanti minus premere quam alterum A, atque incrementum vis motricis globi minoris minus esse incremento majoris. Quod quum etiam valeat de viribus motricibus finitis istorum incrementorum aggregatis, consequitur, porro vim motricem globo ab elastro A ingenitam eo ipso momento, quo B statui naturali restituitur, vi globo alteri ab ipso B communicata maiorem esse. Iam vero tum quidem elastrum A nondum penitus dilatum est, sed ulterius in globum adiacentem agere pergit: quo fit ut vis motrix corporis majoris postmodum noua adhuc incrementa capiat, adeoque vim, qua minus animatur, multo magis exceedat. Pollent itaque ista duo corpora inaequalia viribus motricibus inaequalibus. Enimvero facta ex massis in velocitatum quadrata manifesto sunt aequalia, hincque viribus corporum motricibus aestimandis perperam adhibentur. Sic IVRINVS. Numquid au-

tem, quoniam elastrum B quolibet tempusculo altero A magis dilatatur, dilatatiuncula maior eodem tempore minore vi praestari concipi potest? Numquid salua experientia elastrum premendo tantum, etiamsi non aperiatur, vim motricem generare dici potest? Taceo, non apparet quo tandem effectu vis illa residua elastri B, quam globus minor acquirere non poterat, consumatur, quam nihil sit quod elastro, quam primum dilatum est, aliquam adhuc vim inesse suadeat; atque rationi fatis consentaneum videri, vim, quae globo utriusque primum in contactus punto in generatur, inaequalibus tempusculis per totum globum, maiori scilicet per maiorem, minori per minorem, distribui. Caeterum proposuit ibidem IURINVS iterata vice experimentum quoddam crucis, vt ipse loqui amat, mutata tamen aliquantum forma, qua in *Institutionibus Physicis Marchionissiacis* du CHASTELLET comparet p. 467. Nimirum non, vt ante, elastrum uno quidem cruce navi inniti, altero globum urgere, sed dilatando sese potius utrinque duos globos eosdemque aequales propellere supponit. Sic enim omnium optime Leibnitianis effugia praeculdi possit existimavit. Quod argumentum dicto modo formatum utrum aliquis data opera soluerit, me quidem fugit. Priori vero modo propositum eneruare conatus est RICHTERVS *Act. Erud.* A. 1735. p. 511. atque curatissime expendit RICCATVS *Dialogo &c.* p. 318. seqq.

### §. XVIII.

Missis reliquis, quibus Leibnitianam virium mensuram tueri vel impugnare Viris Celeberrimis placuit, argumentis, partem complicatoribus (\*), partem haud obscure quod in quaestione est supponentibus (\*\*), vnum adhuc addere lubet, quod et nouitate sua sese quodammodo commendare possit, et difficultatibus, quibus caetera premuntur, fere immune videtur. Vires componi atque decomponi posse, prorsus ut motum, nisi in Mathesi hospitem, fugit, opinor, neminem. Iam vero vires componentes compositae partes sunt, hincque iunctim sumtae eidem aequales esse debent, ut adeo ea virium mensura, quae hancce componentium et compositae aequalitatem exhibet, omnino pro genuina habenda sit. Enimvero, licet effectum siue actionum aequalitas virium ipsarum aequalitatem inferat, quum subinde non satis constet quidnam tandem effectus loco habendum sit, iuvat omnino talem casum considerare in quo effectus seu actionis quantitas

ex-



extra omne dubium collocata sit.  
 Representet itaque AD canalem,  
 in quo corpus A, contrahentibus  
 fere fidibus distractis, AS, AT,  
 quarum elasticitates rectis AB,  
 AC, exprimuntur, incedere co-  
 gatur. Notum est, si vis AB fidis  
 AS in duas AH, BH, visque AC  
 alterius AT in duas alias AK, KC  
 resoluatur, ita quidem ut AH, AK,  
 axi canalis parallelae, BH vero et  
 CK ad eundem normales sint, ex-  
 primere AH vim ipsi AB, et AK  
 vim ipsi AC, in directione ipsius  
 canalis aequipollentem, completo vero parallelogram-  
 mo ABDC, fore (ob  $\triangle\triangle$  AKC, DBH aequalitatem, siquidem BH, KC, ad diagoniam AD normales fuerint) BH = KC  
 et AD = AH + AK, hincque ambabus potentiarum AB, AC, iunctim agentibus corpus A in directione AD libere incedere  
 etiam remoto canali, atque AD potentiam istis ambabus in hac  
 ipsa directione aequipollentem sistere. Descripserit iam cor-  
 pus ab unaquaque istarum potentiarum seorsim agente sollici-  
 tatum spatolum  $Aa$ , describanturque centris S, T, radiis  $Sa$ ,  
 $Ta$ , arculi  $ap$ ,  $aq$ , expriment  $Ap$ ,  $Aq$ ,  $Aa$ , respectiue contra-  
 ctionem fidis AS, AD, AT: quimque admodum euidens esse  
 videatur actionem chordarum elasticarum ratione composita  
 elasticitatis chordae intensitate atque chordae contractione ae-  
 stimandam, oportet ostendere esse AB.  $Ap + Ac$ .  $Aq = Ad$ .  
 $Aa$ . Atqui AD.  $Aa = (AH + AK)$   $Aa$  vi praeced. praeterea  
 $\triangle AHB \propto \triangle Aap$ , et  $\triangle AKC \propto \triangle Aaq$ , hincque AH.  $Aa =$   
 AB.  $Ap$ . et AK.  $Aa = AC$ .  $Aq$ . Vnde  $(AH + AK)$   $Aa = AD$ .  
 $Aa = AB$ .  $Ap + AC$ .  $Aq$ . Itaque actiones elementares fidis  
 AS, AT, iunctim sumtae actioni fidis AD aequales sunt. Iam  
 vero vi Galilaeorum factum ex potentia in elementum spa-  
 tiui proportionale est incremento quadrati celeritatis: adeoque  
 dicta

*Hinc statut.*

dicta velocitate in  $a = dv$ , in  $p = du$  in  $q = dv$ , habemus  
 $AB \cdot Ap = dv^2$ , AC.  $Aq = du^2$ , AD.  $Aa = dv^2$ , atque  $dv^2$   
 $= du^2 + dv^2$ . Ut adeo in quolibet casu ex actionum aequalitate  
quadratorum velocitatis aequalitas emergat: nisi quod vbi alte-  
runtra componentum e. gr. AT ipsi AD ad angulum obtusum  
institut, adeoque contrahente fide AS distrahitur, fiat  $dv^2$   
 $= du^2 - dv^2$ . Id quod iustum esse LEIBNITII menturam com-  
monstrare putat, modo concedatur, quod ipsi omnino conceden-  
dum videtur, elementum vis viuae in corpus A actione plurium  
fidium elasticarum translatum aequale esse aggregate omnium  
actionum, si omnes contrahuntur, differentiae autem, si ali-  
quibus contractis aliquae distrahitur (\*\*\*)

(\*) Refero istuc argumenta, ut ut ingeniosissima, IO. BERNOULLI, ex  
motu corporis pluribus elasticis oblique obuiam facti eademque successione  
constringentis (Opp. T. I. p. 321) quod et L. B. a WOLF suis Matheos Ele-  
mentis inferuit, nec non IAC. RICCATI Comment. Bonon. T. I. p. 258. T. II. P.  
III. p. 143.) fides elasticas adhibentis. Taceo, quae CANIVSIVE, ac DAN. BER-  
NOULLIUS, elasticis itidem vi, aliquie, litteris confignauerunt. Quae omnia istis  
imprimis incommodia laborant: 1) quod semper singulares quosdam casus  
resipiant, adeoque dubio quodammodo locum dent, a NACLAVRINO  
(Vers. gallicae sui de Fluxionibus operi p. 15. (\*\*)) inter alios moto, ni-  
mirum licet quidam corporum effectus deprehendantur in ratione veloci-  
tatum duplicata, exinde tamen nondum vniuersalem formari posse aliquam  
legem: 2) quod ut plurimum dubium sit quidam in causa dato effectus in-  
star habendum, cui vis via proportionalis censetur; utrum v. s. resiste-  
tia a corpore seriem elasticorum constringente superata numero elasticorum  
proportionalis sit: 3) quod actiones inter se comparanda diversis editae  
sint temporibus, adeoque constare omnino deberet utrum lege  $ds = vdv$   
an potius illa altera  $pdt = dv$ , vt supra iam de gravitatis actione di-  
ctum, aestimari debeant. Quae omnia etiam experimenta mox memoran-  
da suo modo ferire cvidens est.

(\*\*) Talia fere sunt HERMANNI argumenta, (Phoronom. p. 119.  
itemque Comment. Petropol. T. I. p. 14-25,) si vnum aliquod, ex confli-  
ctu corporum elasticorum deriuatum, excipias. Tales vero etiam sunt dis-  
sentientium obiectiones tantum non omnes.

(\*\*\*) VINCENT. RICCATVS Comment. Bonon. P. II. T. II. p. 305. seqq.  
cf. EI. Dialogo delle Forze vive p. 215 seqq. Vires componentes in com-  
positione

positione instar caussae, atque vicissim in decompositione et effectus vis compositae, spectari sere solent. Quandiu iuri directiones componentium angulum rectum efficiunt, intelligitur omnino aequalitas quedam inter caussam et effectum, adhibita LEIBNITII mensura: non item, si vires secundum CARTESIUS placita aestimantur. Nam si actio in ratione composita potentia et tempore est, quoniam nemo dubitat corpus vi composita animatum eodem tempore diagonalem describere, quo a viribus componentibus per latera promoueri potest, ob temporis identitatem actiones haerent ut potentiae. Sed diagonalis, vim compositam sistens, aggregato latitudine, componentes exhibentium, minor semper est: vnde actiones componentium actione compositae semper maiores esse consequeretur. Quod quidem absurdum Leibnitiana virium aestimatione, vt dixi evitatur, si componentium directiones ad rectum sibi angulum insistant: redire tamen videtur ubi angulus iste fuerit obliquus. Vnde etiam BULFINGERVS, qui tandem vindicatur imprimis ad virium compositionem respectu, de hocce nodo sollicitus fuit, quam qui maxime, *Comment. Petrop.* T. I. p. 62. 99. seqq. Atque ubi angulus virium fuerit obtusus omnino aliquam speciem habet, quod ille l. c. p. 108. arget, vim compositam ideo prodire minorem componentibus, quoniam haec sibi quodammodo impedimento sint, adeoque diagonalis, utpote effectus minus plenus, caussas suas plenas neutquam adaequare possit: licet etiam huic solutioni obfit, quod in decompositione partes lateralia sibi oppositae, aequae ac minus oppositae, ex vidiagonia prodeant, adeoque effectus denovo ipsa caussa maior sit. Contra vero, ubi componentes angulum acutum efficiunt, multo difficultius adhuc intelligitur, quod BULFINGERVS contendit, vires laterales in tali hypothesi ex parte contentire, quoniam altera alteram transfert, ita quidem ut quelibet, quem corpori moto iunctum insint, in illud tamquam respectu sui quiescens agat; hincque vim per diagonalem componentibus maiorem prodire: nam quelibet iterorum potentiarum, siquidem corpus seorsim sollicitaret, in illud itidem tamquam respectu sui qui scens ageret. Nondum ergo scopus potitus videbatur BULFINGERVS. Cartesiani vero, rem pro desperata habentes, ut plurimum compositione vires minui, decompositione augeri pronunciarunt, de conservanda caussam inter et effectum aequalitate perum solliciti (cf. MAIRANI *Diff. Scepius cit. ad finem*): nisi quod BOSCOVICHVS eo processerit, ut solam virium compositionem in natura locum habere, resolutionem vero mente tantum concipi, inuita licet experientia, affirmare ausus sit. (*Comment. Bononi. P. II. T. III. p. 301.*) Feliciori demum successu, totam talis motus oeconomiam exposuisse sibi viuis est RICCARVS l. c. Nimis spatiola *Aa*, *Ap*, *Aq*, non eodem motibus separatis percurruntur tempore, id quod calculus facilis negotio ostendit. Quumque potius duobus *am*, *an*, ipsis *AC*, *AB*, parallelis, spatiola *Am*, *An*, eodem quo *Aa* tempusculo percurri notum sit motibus separatis, atque *m* at *p*, itemque *n* et *q*, non coincident, nisi ubi anguli *ama*, *ana*, consequenter

ter angulus BAC, recti fuerint, non obscurum esse ait, quandoquidem non AB. Am  $\neq$  AC. An, sed AB. Ap.  $\neq$  AC. Ag  $\equiv$  AD. Aa, aequalitatem causam inter et effectum tempore saluam esse. Enimvero RICCATVS paulo post aduersarium nactus est BALASSVM, Opusculi sui de *Viribus Vi- vis* Lucas A. 1751 editi p. 9. seqq. inter alia negantem vires laterales a diagonia generari in resolutione virium; atque contendentem, quando de aequipollentia vires laterales inter et diagonalem sermo est, nihil aliud quaeri, nisi utrum pressio a duabus potentiis AB, AC, exerita in punctum datum A, pressioni aequalis sit a potentia AD in illud ipsum exercenda; hincque non mirum cuidam esse debere, si mensura Cartesiana nullum inter laterales et diagonalem exhibeat aequalitatem, quum eandem potentiam eidem punto diversimode tamen applicata admodum diversas prefessiones exercere posse extra controversiam sit. Licet vero et haec, et alia huius generis plura BALASSI, vti quidem ab eodem proponuntur, *Animadver- sionibus suis eleutreis*, nec infeliciter, conatus sit IAC. MARISCOTTVS Bonon. 1752. euulgatis: re ipsa tamen non penitus falsum fuisse BALASSVM, nec sat manifestum esse obtainere vires componentes inter et compositam talem aequalitatem et posse et debere, quali RICCATVS exhibendae operam dedit, non difficulter apparebit perpendenti que Vir. Celeb. qui Balassianum Opusculum in *Relationibus Göttingensibus de libris nouis* A. 1752. recensuit, breuiter quidem, sed peringeniose monuit p. 326.

### §. XIX.

Restat vt de experimentis, quibus genuinam virium aestimationem indagare Geometris constitutum fuit, paucis adhuc differam. Atque tentatum hoc iam olim fuit a GALILAEO, MERSENNO, RICCIOLO, et LANA: licet, quod nec ipsi LEIBNITII aduersarii diffidentur, non satis caute (\*). Primus vero, summa cura adhibita, Marchio IO. POLENVS globos aequales, diversorum vero ponderum, ex altitudinibus massis siue ponderibus reciproce proportionalibus delapsos, foueas in subiecto gelato seu efficere perfecte aequales deprehendit (\*\*): id quod etiam, repetitis crebro experimentis ab aliis, GRAVESANDO in primis atque MVSCHEMBROEKIO, iphisque Cartesiane mensurae defensoribus, constanter sic nec aliter se habere compertum est, atque a nemine fere negatur (\*\*\*)  
Immo, licet nonnulli, mutata ipsa experimenti forma, globos vel in farinam aut puluerem aliquem siccum immiserint,

foueasque mensi sint; vel quibusdam velleribus sericis, aut etiam chartis, in plana parallela extensis, atque in distantiis aequalibus dispositis, disruptione sive vellerum, sive chartarum, resistentiam, adeoque actionem ipsam globi in superioris velleris aut chartae medium perpendiculariter incidentis determinare voluerint, euentus tamen corpora in simplici velocitatum ratione agere numquam ostendit, quin immo Leibnitiana mensurae tantum non semper satis conformis fuit (\*\*\*\*). Itaque non ipfi POLENI experimento, sed confectariis potius exinde pro mensura Leibnitiana deducendis, opponuntur varia. Est, qui noua resistentiae theoria condita, corpora eiusdem magnitudinis, velocitatibus in reciproca duplicitate ponderum ratione existentibus praedita, descendendo in subiectam substantiam mollem, dum aequalia penetrant spatia, virium sive quantitatum motus partes integris viribus sive motus quantitatibus proportionales amittere, adeoque cessante omni omnino motu ad profunditates prorsus aequales immersa deprehendi debere contendit. Sunt alii, temporum, quibus foueae inaequales efficiuntur, inaequalitatem videntes, temporaque ista eadem esse, quae a corporibus refiliendo impenderentur usque dum vis extinguatur, hincque velocitatum descensu acquisitarum rationem habere, perhibentes, foueas ipsas in ratione temporum et velocitatum composita, adeoque, in praesente quidem casu, ut quadrata velocitatum deprehendi autuant ( $\dagger$ ). Est rursus aliis, qui vim viuam in praesente quidem grauitatis systemate, adeoque casu, ut aiunt, tantam, non vero natura sua, quadrato velocitatis exprimi posse existimans, quoniam infinitae aliae grauitatis leges esse possunt, infinitas quoque virium mensuras dari statuit ( $\ddagger$ ). Est denique, qui de effectu aestimando quaestione mouet, utrum scilicet foueae a corporibus descendentibus factae, an potius resistentiae ab iisdem superatae, inter se comparandae veniant ( $\dagger\dagger$ ).

(\*) Exemplo

(\*) Exemplo fint bina, quae RICCIOLVS instituit, atque vna cum nonnullis aliis descripsit *Apo.* Cap. III. Prop. 6. Adhibuit scilicet cuniculum ligneum, quem in butyrum immisum a globo itidem ligneo perpendiculariter in illum cadente ex altitudinibus 8, 32, 72 pollicum, ad profunditas, quae erant quam proxime vt 1, 3, 6, adeoque in ratione quidem maiore velocitatum, neutiquam tamen in earundem duplicata, trudi animadvertisit: itemque globum alium ligneum, qui in vas aqua plenum a diversis altitudinibus cadens, ad profunditates, quae essent in simplici celeritatem ratione, descendere visus est. Enimvero, quum in experimento priori butyrum, quo profundius illud cuniculus penetrat, eo magis condensetur, eoque magis hinc resistat, atque præterea non tota globi descendenteris vis efficienda fouea consumatur, quippe qui in cuniculum impingens paullulum resilire debet, tandemque resistentia aeris et frictio in butyro non contempndendae fuerint, quia globus fuit liqueus; in posteriori vero, notante ipsomet RICCIOLIO, divisa semel a globo aqua statim vortices suboriantur, qui globum a recta descensus linea defletere, atque spiralem quandam describere cogunt, et profunditates ipsæ descensus ne exakte quidem obseruari posse videantur: non mirum omnino est si foueae itae vel altitudines descensus, neutri mensurarum hætenuis cognitarum factis conspirent. cf. NEGRI Tr. saep. cit. p. 41. seqq. RICCATI *Dialogo &c.* p. 62.

(\*\*) de Castellis p. 56.

(\*\*\*) Dubitare se de huius experimenti veritate, quam extra omnem dubitationis aleam constitutam esse protelli sunt MAIRANVS, FONTENELLIVS, FEMBERTONVS, verbo, ad vnum fere omnes qui hoc de argumento commentati sunt, vnuus, quod sciām, significauit MARTINVS, Geometra Italus non incelebris (*Comment. Bonon.* P. II. T. I. p. 284.), atque se potius foueas in ratione radicum altitudinum comprehensisse credidit, mensus scilicet profunditates fouearum, neglegit earundem latitudinibus, quarum tamen quam maxime ratio habenda fuisset, quum foueas integras, quantitatem materiae mollis loco motae atque compressae exhibentes, non vero earundem profunditates, effectibus globorum cadentium proportionales esse omnes contendent.

(\*\*\*\*) Enimvero eiusmodi experimenta parum exacta esse, nec ad liquidam veritatem deducere posse, non obscurum est. Nam in casu primo pars farinae, vel pulueris, decidentis globi vi in auras abigitur, adeoque fouea ipsa non unicus est effectus quo vis globi consumitur. In reliquis

verò globus in vellus vel chartam impingens fibrillas, ob errundem nexum, tendit omnes, disrumpit verò modo eas quae actioni eiusdem resistere imparès sunt, seu maxime extensa, ut adeo denuo disruptio fibrarum non nisi partem quandam actionis globi exhibeat. cf. POLENVVS *Epifularum Matthematis*. Epist. VII. n. 29.

(†) CROUSAZ *Essai sur le Mouvement* p. 171. Quod ipsum centies fere, ante et post CROUSAZIVM, repetitum fuit.

(††) Comment. Bonon. P. II. T. I. p. 388. Vbi FRANC. ZANOTTVS, Academiae a secretis, EUSTACH. ZANOTTVM hoc obiciētē inducit.

(†††) FRANC. ZANOTTVS, *Op. cit.* P. II. T. III. p. 458.

#### §. XX.

Nec defuerunt vero quibus LEIBNITII aestimationem tueri potuere summi Geometrae. Quod enim nouam illam resistentiae theoriam attinet, quum, quod ipse eiusdem auctor, PEMBERTONVS, largitur, manifestissimum sit materiam mollem globorum motui eodem prorsus modo resistere, quamcumque demum velocitate globi ipsi descendant; eandemque porro esse resistentiarum mensuram dum globi spatia penetrant aequalia: difficulter sāne appetat, qui fieri queat, vt constantis resistentiae in spatiis aequalibus effectus sint diuersi, vel ut decrementa virium a ratione resistentiarum differant. Porro vero illa a temporis diuersitate desumi solita exceptio ponit aliquid, cuius contrarium experimenta suadent. Tantum enim abest, vt globi in materiam mollem descendentis motus eodem tempore destruantur, quod resilendo consumeret, vt potius globus e. gr. diam. 2. poll. pond. 5. vnc. ex alt. 50. pedum demissus in subiectum gelatum serum tempore omni assignabili minore moueri cessauerit, qui tamen ex dicta altitudine nonnisi interuallo vnius minutis et trium tertiarum descendit, adeoque nec minore, ad eandem denuo

◎ ◎ ◎

denuo adscendere potuisset. Accedit, quod , vt supra monui, qui effectus corporum qualescumque in ratione temporis et velocitatis composita esse volunt, numquam clare explicare tentauerint, qua ratione corpus e. gr. *vel* = 2. temp. = 2. effectum edere possit quadruplum , quandoquidem velocitas ista initialis resistentia continuo destruitur (\*). Deinde infinitas virium mensuras dari posse statuenti pro systematum grauitatis diversitate, regeri potuit neutiquam ex factorum, ductis massis in velocitatum quadrata prodeuntium, aequalitate Leibnianam mensuram deduci debere , sed potius, quoniam fouae a corporibus cadentibus factae procul dubio in ratione composita massarum et functionum qualiumcumque velocitatum sunt, atque positis foueis aequalibus facta illa ex massis in celeritatum functiones itidem aequalia esse debent, non possunt vero aequalia esse in sistema quidem grauitatis constantis nisi velocitatum adhibentur quadrata , iure quodam hinc concludi posse,foueas, seu generatim effectus corporum, ex massis in velocitatum quadrata ductis aestimari debere. Qui argumentandi modus nullum determinatum grauitatis sistema poscit, sed grauitatem tantummodo constantem : licet verum sit foueas aequales in alio grauitatis systemate non futuras, licet altitudines descensus massis fuerint reciproce proportionales ; sed si ita comparatae sint vt velocitates acquisitae rationem massarum obtineant reciprocam duplicatam. Restat ultima tandem ea que grauissima difficultas , quae effectus determinationem concernit. Potest illa , vt patet, cautelis quibusdam obseruatis quodammodo leuari, si nempe globi exhibiti eandem diametrum habeant, ex eadem materia, et quidem metallo, atque aequae laevigati sint, ne scilicet resistentia aeris aut frictio experimentum turbet: quo facto foueas resistentis ipsis proportionales esse vero euadit simillimum. At, quid si quis hac ipsa verosimilitudine sibi neutiquam satisfieri professus demonstrationem flagitet, eamque rigidam ? Et nonne hac  
ipfa

ipsa hypothesi, prorsus ut in reliquis tantum non omnibus demonstrationibus, sumitur quod maxime in quaestione versatur, actiones esse in ratione composita spatio et potentia? Sic quidem videtur: atque sic certe visum acerrimo Leibnitianae sententiae defensori, quem toties laudaui,  
RICCATO (\*\*).

(\*) POLENVS Epift. Mathem. Epift. VII. n. 6. 7.

(\*\*) Dialogo etc. p. 174. Quod ipsum, ut supra (§. IX (\*\*)) notavi, iamiam in demonstratione ex elastrorum natura petita desideravit B. HAYSENIVS.



VIRO  
CLARISSIMO AC DOCTISSIMO  
IO. CHRIST. ARNOLDO  
PHILOSOPHIAE MAGISTRO  
S. D.  
CHR. ERN. de WINDHEIM.

Quamprimum Fridericianam nostram adiisti, meas statim  
aedes salutasti, talibusque fautorum, quorum nomina  
veneror, litteris commendatitiis me adiisti, ut commercium  
TVVM mihi non posset esse non gratissimum, hoc vero ma-  
xime ingratum, quod aliquot tantum hebdomas ad apud nos  
commorandi confilio ad nos peruenisses. Quo ipse ex quo-  
tidiana consuetudine TVAM expertus doctrinam, TE a nobis  
dimitterem difficilius: quo, ut eruditonem Tuam praecla-  
ram academie nostrae dicares, optarem magis: eo mihi  
erat laetius, quum mihi, id saepius suadenti, non renueres,  
antequam nos relinqueres, dissertationem publicam defen-  
dere, ac, quum demum elaborata docta dissertatione, ut  
honores philosophicos summos ambires, institueresque scho-  
las, TIBI persuadere adderem, non adeo magnopere resiste-  
res. Iustos honores, examen rigorosum magna cum laude et de-  
lectatione ordinis nostri philosophici quum sustinuisses, differ-  
entiationisque TVAE de *viribus viuis earundemque mensura par-*  
tem priorem nuper me comite potius, quam praefide, apte  
defen-

H



defendisses, ex voto meo TIBI aequisiuisti, quos priuatim  
TIBI gratulatus, iam publice gratulor. Nunc in eo es VIR  
CLARISSIME, vt continuatione dissertationis TVAE cathe-  
dram superiorem concendas, TIBIque facultatem docendi  
apud nos acquiras, quo in erudito confilctu TVO, TIBI meis  
vt dubiis occasionem suppeditarem, iterum doctrinam TVAM,  
TVAMque vim in dijudicanda veritate, commonstrandi, iubes.  
Adero ergo, TE ita volente, in hoc confilctu TVO, magis  
testis, quam hostis. Adeo enim docte et dilucide controuer-  
siam de *viribus viuis*, quae viros grauiissimos commisit, tracta-  
visti, et ex scriptis non cuique obuiis concinne et acute  
eruisti, vt, quod serio obicerem, sciam nihil, voluptatem  
vero ex eius perlectione ceperim multam. Si enim libros  
ad hanc controuersiam spectantes recenses, singulari libro-  
rum haud vulgarium notitia TE esse imbutum; si argumenta  
ab vtraque litigantium parte adhibita, repetis, et dijudicas:  
acumen egregium, perspicaciam praeclaram, attentionemque  
in ponderanda vi eorum multam prodis, omniaque haec  
stile puro, concinno et apto profers, vt iustorum rerum ar-  
bitrorum facile plausum nactus fueris. Gratulor TIBI ergo  
hoc scriptum eruditum, gratulor academie nostrae, et orbi  
eruditio virum doctum, mihiique amicum. Fauxit summum  
Numen, vt TIBI omnia prospere succedant, coronetque vir-  
tutem Tuam et doctrinam raram praemiis, quibus digna est,  
locupletissimis. TV vero in me amando pergas VIR CLA-  
RISSIME, et persuasum TIBI habeas, nullam, si quid in me  
fuerit facultatis, TIBI inferuendi me intermissurum esse oc-  
casione, TIBI testandi, quanta alacritate officio meo TE  
amandi colendique satisfacere optem. Erlangae Cal. Jul.  
MDCCLIV.

## COROLLARIA.

I. Aer in fluidis contentus non potest non esse elasticus.

II. Vsus pulmonum aliquis dubio procul in miscendo sanguine venoso consistit. Interim nec observationibus Celeb. Anatomici, ope Thermometri haud ita pridem institutis, euinci posse videtur nullum iporum in refrigerando sanguine usum esse.

III. Vtrum mineralia vivant, an minus, non constat.

IV. Actio menstruarum in soluenda neutiquam sufficienter per matuam attractionem atque particularum menstrui figuram explicatur.

V. Affirmantem ius naturae esse immutabile, non decebat dicere fore illud ipsum sine ratione sufficiente nisi a hominibus exakte servari deberet, multo minus tali asserto demonstrationem veritatis religionis christiana superstruere.

VI. Motus uniformis, in medio non resistente, vtrum in infinitum continuari possit, dubium est.

VII. Cogitationes nostrae an rebus representatis conuenire queant, nescimus. Consequens est veritatem non posse definiri convenientiam cogitationum cum rebus ipsis.

VIII. Verum licet sit res quaslibet nudo oculo simillimas visas armato admodum dissimiles apparere, observationes tamen tales, etiam si inducione foret completa, ad indiscernibilem principium, quod dicunt, probandum nihil omnino faciunt.

IX. Qui vim corporum attractiuan, repulsiuam, reiiciunt, etiam actionem corporum in se inuicem negare debent.

H. 2

X. Idolo-

X. Idolatria gentilium , Graecorum , Romanorum , neutri-  
quam comparari potest actioni subditi , qui aliquem ex principis sui  
ministris , errore deceptus , eo , quo principem ipsum decebat cultu ,  
prosequeretur .

XI. Frigus utrum priuatio , an potius positui quiddam sit ,  
non apparet .

XII. Idea obscura in claram , clara in distinctam numquam  
abire potest .

FINIS.



94A 7339


ULB Halle  
000 410 721

3



56.

VO 18



B.I.G.

Black

3/Color

White

Magenta

Red


Yellow

Green

Cyan

Blue

Farbkarte #13



DISSERTATIO PHYSICO-HISTORICA II.

DE

# VIRIBVS VIVIS EARVM DEMQVE MENSURA

QVAM

IVSSV AMPLISSIMI PHILOSOPHORVM ORDINIS

IN

ACADEMIA FRIDERICIANA

ERLANGENSI

PRO FACVLTATE DOCENDI

DIE VI. IULII MDCCCLIV.

PVBЛИCE DEFENDET

O. CHRIST. ARNOLD.

A. M.

RESPONDENTE

IOANNE GEORGIO GOETZIO

SWINFVRTO - FRANCO

LEGVM CVLTORE.

ERLANGAE

LITTERIS TETZSCHNERIANIS.